

AUXILIANTE DEO.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
THEOLOGIÆ

N A T U R A M
& CONSTITUTIONEM
exhibens.
QUAM

In Regia Aboensi Academia CHRISTINÆA, consentiente
Venerandâ Facultate Theologicâ die 16. Jun. A.M.DC.L.IV.
in Auditorio Sup., horis ab 8. antemeridianis Eruditorum
publicæ disquisitioni s̄sistit ac defenden-
dam suscipit;

P R Ä S I D E

Plurimum Reverendo Præclarissimoq; Viro,

DN. M. NICOLAO L. NYCOPENSE
S.S. Theolog: Prof: Publ: Præceptore ac Promotore suo
jugiter honorando.

GABRIEL GREGORII ARCTOPOLITANUS
Finl: S. x R: x M: is Stipend.

Luc. 16: 29.

Ἐχετί Μωσέα, καὶ τὸς Προφήτας ἀκε-
σάτωσαν ἀντῶν.

1654.

A B O Æ. Holm.

Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Waldz.

6.
Filiorum atq; Generosissimo HEROI
& DOMINO,

DN. GUSTAVO Horii
Comiti de Biörneborgh / Lib: Bar:
de Marienborgh / Domino in Malla / Häringe &c, E-
quiti aurato, Regni Sueciæ Marschallo, Senatori, Cam-
pi-Duci Generali, Collegii milit: Præsidi, Generali
Livoniæ Gubernatori, nec non Austro-Finland,
Judici Provinciali Supremo.

Domino suo benignissimo
ac
Mecenati Magno

Vitam, incolumitatem & felicitatem precatur.

Dlvum progenies, Comes Illusterrime GUSTAF,
Has philstras nature respice, quæso, pio.
Hærere Arctopoli ne non, tua Nomina Celsa
Rite putas, jussus, quantulacunq; dedi.
Grandius haud reperi, quo te Comes Inlyte possim
Munere devotus ipsus adire cliens.
Admittat placidō vultu, Clementia Vesta;
Et famulos inter me locet, oro, suos.

Inq; humiliam futuræ promotionis
spem, subjectissimè consecrat

GABRIEL ARCTOPOLITANUS Finl:

ASSERTIO PRIMA.



Aturam Sacrae Theologiæ altius rímaturi, primo lapidis jaētu certis limitibus nos circumcingemus, quōs in progressu transilire non licebit: Acturi de Theologiæ 1. Existentiā, 2. Definitione, 3. Divisione, 4. Opposito, & 5. de Quæstionibus hīc præcipue controversis

O Deus illustra mentes, linguisq; gubernā;
Ut tibi perplaceat, quod meditamur, opus.

Memb: Primum de Theologiæ Existentiā,

II. Dari Theologiam partim ex Propheticā & Apostolicā confessione, Deut: 4:v:6. 1. Cor. 2:v:6, 7. Rom: 11: 33. partim ex unāmī omnium populorū consensu; qui ex Philosophorum, Historicorum Poëtarumq; Gentilium scriptis, colligitur: partim deniq; ex salutis nostræ indigentia Iohan: 17: 6. Matth: 16: v. 17. firmissime concludimus.

III. Ut ut verò apud omnes rationis usu gaudentes in confessio est Theologiam existere; ita quæ illa in particuliari sit, vera Deoq; accepta Theologia, propter mentis nostræ adnatam cœcitatē perspicere haud valemus: Nisi sacræ literæ hanc mentis nostræ caliginem dispellant, nosq; in veritatis semitam deducant. Nam præterquam quod Evangeliū sit μυστήριον à seculis absconditum, sicq; humana ratione non p̄vestigabile; etiam Decalogus ideo promulgatus est, ut quæ de Deo primitus hominum mentibus impressa fuit Theologia illustraretur ac confirmaretur.

Memb: II. De Theologiæ Definitione tūm Nominali tūm Reali. In Nominali notabimus Vocis Theologiæ.

IV. 1. ἐπιμολογίαν. Theologia vox origine Graeca est, civitate tamen Latina ut per plurimæ aliae, donata: componitur ex Θεῷ καὶ λόγῳ. Notatione facta vel 1. à Causa efficiente quod sit λόγος τοῦ Θεοῦ. Sermo ipsius Dei seu à DEO prolatus 2. Pet: 1: v: 21. 2. ab Objecto, quod sit λόγος περὶ τοῦ Θεοῦ h.e. sermo de DEO, vel qui versatur circa Deum ejusque verbum per Prophetas & Apostolos revelatum. 2. Pet: 1: v: 19. 3. ab Effecto, quasi περὶ τοῦ Θεοῦ λέγων sermo qui de DEO differit, nosq; in Dei cognitionem tūm quā essentiam tūm quā voluntatem perducit. Iohān: 5:39.

V. 2. ομωνυμίαν. Usurpatur Theologiæ nomen Tripli citer: videlicet Latissimè, Strictè ac Strictissimè. Latissimè sumptum ομονύμων in Falsam & Veram distinguitur.

VI. Theologia Falsa seu Opinabilis est tūm Ethnicorum veterum & recentiorum; tūm Aliorum, circa DEUM & res divinas periculosè errantium, ut Judæorum, Mahomedanorum, Pseudo-Christianorum. Vocabatur Theologia φευδονύμως καὶ δοξασῶς: Falsa, quia revera fallit & fallitur, adeoque; toto (quod ajunt) cœlo aberrat à vera Theologia: Opinabilis vero, quia opinione tantum est Theologia, mera somnia pro veritate, idola pro vero Iſraēl's DEO ostentans ac obtrudens.

VII. Theologia vera ἀραλόγως in Ἀρχέτυπον & Εκzvtor secatur. Vera audit quia 1. à DEO originem trahit, qui ipsa est veritas mentiri nesciens. 2. Sui alumnos efficit veraces quippe qui per illam à S. Sancto in omnem veritatem ducuntur. 3. omnium partium admiranda

randâ harmonia & consensu perpetuò constat.

IIX. *Theologia Archetypta est in DEO & ipsius DEI aeterna ac essentialis scientia, quâ DEUS seipsum & omnia extra se modo perfectissimo verèque divino intelligit.* Dicta Ἀρχέτυπον, quia est fons & scaturigo universæ scientiæ quæ de DEO & rebus divinis in creaturis unquam reperitur, Iohan: i: 18. i. Cor: 2: v: 10. Hanc DEO derogare est Deum sui ipsius ignarum fingere, proindeq; Deum negare. *Aliis πρωτότυπον, Exemplar primigenium, ad cuius ideam ἐκτυπωτικόν à DEO pro creaturarum captu conformata est: & Theologia DEI vocatur.* Genus voce scientiæ exprimitur, quam ne quis humanam & Philosophicam esse credat additur aeterna ac essentialis. Est namq; Theologia in DEO simplex intelligentia, quâ seipsum & omnia extra se in seipso, tanquam in speculo lucidissimo perfectissimè cognoscit. *Differentia ex Subjecto & Objecto petita est: illud, est ipse DEUS; dicitur namq; quod sit ipsius DEI scientia: hoc, facimus DEUM; nullus enim perfectè ipsum DEUM intelligit præter solum DEUM; & alias res quascunq; extra DEUM. Nihil enim est occultum ab illo, sed omnia nuda sunt & aperta in oculis ejus. Heb: 4: 13.*

IX. *Theologia Ectypa est scientia Dei, rerumq; divinarum cum creaturis rationalibus communicata, ut DEUM rectè agnoscimus sincere colamus & aeternum in caelis glorificemus.* Ἐκτυπον appellatur, quia ex archetypa expressa est atq; secundum eam efformata. Genus est scientia, quæ πρωτότυπων δευτέρων solum ac per dependentiam ab illâ ἐκτυπωτικό tribuitur. *Differentia 1. ex Objecto, quod Deus & res divinæ constituant. Nam sicut Theologia Archetypa versatur circa DEUM & res à DEO productas; ita & hæc quæ illius idea & imago est: 2. à Modo*

20.
communicationis scil: à Deo hæc Theologia creaturis est
communicata pro illarum captu: 3, à Fine, qui est glo-
ria Dei & hominum æterna beatitudo ac felicitas apud
DEUM: desumi potest.

X. Hæc Theologia Ecclypa per tres communicatio-
nis modos subdividitur in Theologiam Unionis seu Θεον-
τοστικής. Visionis seu beatorum, & Revelationis, seu via-
torum; brevissimè de singulis in sequentibus agendum.

XI. Theologia Unionis est scientia Dei & rerum divina-
rum tota, que unquam cum creaturis rationalibus communicari
potuit, potest vel poterit, cum Christi Θεοτοστικής humanitate
subjectivè & habitualiter communicata. Dicitur alias Θε-
οντοστική & œconomica de quā Luc: 2: 40. & ult: Col: 2:
v: 3. Theologiam Ecclypam Christo inesse manifestum
est, an verò simul cùm eadem, Theol: archetypa ei com-
municata sit in dubium à nonnullis vocatur. Nos affir-
mativam amplectimur: Nam in εὸ κατοικεῖ πᾶν τὸ
πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς Col: 2: 9, conf:
Col: 1: 19. Heb: 1: 9. Iohān: 3: 34. cum hac tamen cautela
ut illa(ecclypa)dicatur inesse Christo subjectivè & habitual-
iter, hæc (archetypa) tantum communicativè possessivè &
usurpativè, non habitualiter nec subjectivè.

XII. Theologia Visionis est scientia Dei & rerum divina-
rum quā boni angeli & beati homines in cœlestem paradisum
translati excellunt Deum perfectè cognoscentes. Matth: 18: 10.
cap: 5; v: 9. alias Theologia excelsa, intuitiva, clara visionis,
Ecclesiae triumphantis audit. Genus ex superioribus
manifestum est; differentia ex subjecto & modo communi-
cationis declaratur. Subjectum geminum est, boni Angeli
& beati homines in futura vitâ. Sancti enim angeli
Dei feciem in coelis per omnes æternitates vident, my-
steria perfectè cognoscunt, totamq; S. Sanctam Trinitas
tem

21.

tem verâ pietate & cultu proseqvuntur: nobis autem non
dum apparuit quod erimus videbimus enim eum sicut
est. 1. Iohann: 3: 2. *Communicatio cognitionis erit perfecta*
nam videbimus eum à facie ad faciem sicut est. 1. Cor: 13:
v. 9, 10, 11, & 12.

XIII. *Theologia Revelationis est hominum in hisce ter-*
ris militantium scientia. 2. Tim: 3: 14. *Alio nomine dici-*
tur Theologiae via seu viatorum, nostra, humilis, & Ecclesiae
militantis. Hæc in *Positivam & Methodicam dividitur:*
Positiva est S. Sacra, ita dicta, quod tradat meras positiones
id est, principia firmiter posita. *Methodica est epitome*
~~axiomatum salutarium in verbo Dei occurrentium, ad certa ca-~~
pita ordine convenienti revocatorum: sive illa lumine gra-
tiæ solum, sive gratiæ & naturæ simul comprehendantur.

XIV. Porrò pro diverso communicationis modo
Theologia revelationis est vel Naturalis seu dependens,
tum ex principiis naturalibus tum ex actuali creatura-
rum visibilium contemplatione Rom: 1. 20. vel Supernau-
ralis & grata, ex verbo Dei hausta. 1. Cor: 13: 9.

XV. *Theologia naturalis à supernat: quadrupliciter*
dissertat.

1. *Originaliter, Theologia naturalis oritur ex naturâ*
tum hominis; cui vel innascitur, vel beneficio ratiocina-
tionis colligitur; tum reliquarum creaturarum, à quibus
velut objectis excitatur. Rom: 19: 20. Theologia revela-
tionis à solâ divina revelatione dependet. 1. Cor: 2: 19.
2. *Materialiter, idq; duobus modis: 1. ratione subjecto-*
rum quibus inhæret; Theolog: nat: omnium hominum
mentibus insculpta est, Rom: 1: 18. Theolog: verò re-
velat: Ecclesiæ civium est propria. 1. Cor: 2: 14. 2. ratio-
ne Objectorum circa quæ versatur: Theologia naturalis
versatur circa essentiam Dei abolutè consideratam ejus-
que

que voluntatem generalem, & opera externa universum concernentia. theolog: revelata versatur etiam circa essentiam DEI relatè consideratam, ejusq; voluntatem specialem & opera tūm interna & hypostatica, tūm externa, æternam hominum salutem respicientia. 3. Formaliter, & ratione perfectionis; Theologia naturalis est languida, imperfecta & ferè nulla, assensum namq; efficit langvidum, dubitationibus undiquaq; obnoxium; & de Christo, Evangelio, promissionibusq; Evangelicis nihil novit. Revelata vero (comparate loquendo) est perfecta & ad salutem sufficiens. Act: 20:27, 4. Finaliter, Theolog: naturalis non est salutifera; eò quod ignorat Christum extra quem nulla salus Act: 4:12. Revelata vero hominem ad salutem perducit Ioh:5:34. Adhuc de Theol: in latissima acceptione egimus.

XVI. Strictè usurpatâ voce Theologiæ contradistinguitur tribus reliquis facultatibus ac consideratur vel ut Scientiâ, quæ habetur; vel ut Doctrina, quæ docetur & discitur. Illa Habitualis, hæc Systematica dici consuevit, quarum posterior nobis arridet ut infra patebit.

XVII. Habitualis tres admittit significations; sumitur 1. Profide & religione Christianâ, & est simplex cognitio articulorum fidei seu eorum quæ ad salutem necessaria sunt: hoc sensu omnes fideles sive docti sive indocti fuerint Theologi sunt. 2. Pro functione ministerii Ecclesiastici; quando Minister verbi, articulos fidei suo quodam modo & pro captu auditorum explicare & confirmare novit. Quomodo Omnes Ecclesiarum Ministri licet in controversiis Theologicis parum exercitati Theologi cluent. 3. Usitatus, pro accuratâ & perfectâ mysteriorum divinorum notitia cum excellenti duximus res auctoritas ελέγχειν καὶ ἐπισομένη. Quo sensu Theologi salutantur

23.

tur solum illi qui solidâ ac accuratâ articulorum fidei cognitione, plenâq; controversiarum Theologicarum intelligentiâ imbuti sunt. Communiter *Professione* sicut priores *Confessione* Theologi nuncupantur.

XIX. *Strictissimè* quando accipitur hæc vox est assertio Deitatis τὸν λόγον, hac significatione *Iohannes Evangelista* in inscriptione Apocalypseως Θεόλογος appellatur; quod τὴν θεότητα τὸν λόγον perspicuè admodum in isto libro ut & Evangelio suo asseruerit. Huc referri potest illa significatio quā Theologia est *nomen partis*, ut *Theologia casuum, Theologia Catechetica*.

XIX. 3. Συνώνυμια. Hic notandum vocem Θεολογίας (in abstracto) in Sacro codice non reperi, extare tamen ibi vocabula εὐφράκτονερα ac æqui pollutia qualia sunt 1. *Scientia*, Esa: 53: 11. 2. *Sapientia*, Col: 1: 9. Jacob: 1: 5. 3. *Sapientia in mysterio abscondita*, 1. Cor: 2: 7. 4. *Sapiencia supernè veniens* Jacob: 3: 15. 5. *Prudentia*. Prov: 1: 2. 6. *Doctrina secundum pietatem*. 1. Tim: 6: 3. 7. Καριχήσις respectu initiatorum quibus lac propinandum. Galat: 6: v: 6. *Hæc de definitione Nominali.*

XX. Realem Theologiæ definitionem hanc damus: *Theologia est doctrina ex Scriptura Sacra desumpta, hominem ad veram DEI agnitionem & gloriam, & eternam salutem consequendam erudiens*. Genus est *doctrina*, quia docendo traditur & discitur non ex artium communibus illis principiis, sensu, observatione, experientia & inductione, sed gratiosa revelatione in verbo facta. Utitur hoc genere Christus Joh. 7: 16: Conf: Deut: 32: 2. Prov: 8: 10.

XXI Differentiæ loco posita partim ex *Causis* partim ex *Subjecto* petita sunt: *Principalis Theologiæ causa est DEUS Pater, per Filium in S. Sancto. Matth: 11. 27. Instrumentales sunt Theologi, qui ex Scriptura Sacra Theolo-*

24
giam concinnarunt: *Materia ex qua*, sunt dicta Scripturæ præsertim elementaria, *Forma* in Methodicâ horum dispositione collocatur. *Finis* resp. *DEI* tūm illius cognitio *Johan: 17: 3.* tūm gloria. *Matth: 5: 16.* resp: *Hominum*, est geminus, scil: *Internus*, qui est informatio hominis ad æternam beatitudinem consequendam. *2. Tim: 3: v: 15.* *Externus* vitæ æternæ acquisitio ac possessio. *Ioh: 20: 31.*

XXII. *Subjectum Theologiæ* triplex statuimus 1. *Inhesionis* & est homo seu intellectus hominis, cui Theologia haud secus atq; alii habitus inhæret. 2. *Operationis*, & est homo quatenus salvandus. Ubi *Materiale à Formali* accurate distingvendum. 3. *Tractationis*, & sunt omnes ac singuli veræ & Christianæ religionis articuli, qui suo ambitu comprehendunt omnia tam credenda quam agenda ad salutem necessaria & in *Systemate Theologico* proponi solita.

Membrum III. De Theologiæ Divisione.

XXIII. Theologia ab aliis aliter dividitur, nos Excell: Doctoris Hafenrefferi methodo insistemus; qui Theologiam per tria generalissima ac summa capita distribuit iisque singulis pertractandis *unicum* librum tribuit: quorum *Primus, DE DEO*; *Secundus, DE ANGELIS*; *Tertius, De HOMINE*; Secundum diversos status considerato, disserit. Hi tres Libri plures Locos Theologicos tractant, ac singuli Loci in certa Membra; Locorum Communium declarationem, Errorumq; circa eosdem refutationem concinnâ ac perfaciili methodo secantur. Itaq;

XXIV. Lib: *Primus De DEO*, quatvor habet locos Theologicos, quorum 1. *De DEO in Essentiâ Uno ac personis Trino*; 2, *De Creatione rerum omnium*. 3. *De Con-*

Conservatione seu gubernatione rerum creatarum. 4.
De Scriptura Sacra Canonica, perspicue tractat.

XXV. Lib: Secundus *De Angelis* tribus locis absolvitur: horum 1. *De Angelicis Spiritibus in communione*: 2. *De Sanctis Angelis*: 3. *De Daemonibus seu Malis Spiritibus*; agit.

XXVI. Lib: Tertius & ultimus *De Homine*, plurimos locos Theologicos suppeditat, quos juxta quadruplicem ejus statum; *Innocentia*, puta, *Peccati*, *Restitutionis* & *Glorificationis*; enumerabimus.

XXVII. In *Statu Integritatis* quatvor loci sese nobis sistunt: quorum 1. *Animæ Immortalitatem*: 2. *Ejusdem Propagationem*; 3. *Imaginem DEI in homine ac* 4. *Liberi Arbitrii in homine naturam Secundum omnes quatror hominis status*; perlustrare oportet.

XXIX. *Status Peccati* post lapsum unico loco qui de Peccato est absolvitur. *Status Restaurationis* per Christum Decem locos hoc ordine complectitur: 1. *De Praedestinatione*. 2. *De Christo*. 3. *De Fide*. 4. *De Lege & Evangelio*. 5. *De Poenitentiâ*. 6. *De Ecclesia*. 7. *De Sacramentis*. 8. *De Justificatione*, 9. *De Cruce & Precibus*, 10. *De Diversis vita ordinibus*.

XXIX. *Status post Mortem seu Glorificationis* Decem (*Si Errores Pontificiorum quos de defunctis fovent ad numerare fas est.*) locis continetur: quorum est 1. *De Morte*. 2. *De Animæ Immortalitate, ac Corporis sepultura*. 3. *De Limbo patrum*. 4. *De Purgatorio*. 5. *De Sanctorum invocatione*, 6. *De Fine Mundi*. 7. *De Mortuorum resurrectione* 8. *De Judicio Extremo*. 9. *De Inferno*. 10. & ultimus de Vita æterna. Rationem connexionis horum locorum Theologicorum qui scire desiderat ex prefati

Doctoris Hafenrefferi tum' præfatione in locos Theologicos, tum transitionibus cuilibet loco Theolog: in fronte appositis petat, ac voti compos erit,

Memb: IV. De Oppiso Theologiæ.

XXX. Opponitur Theologiæ Hæresis, quæ est per tinax electio ac defensio falsæ perversæq; sententia de DEO & rebus Divinis, pugnantis cum perpetuo Prophetarum ac Apostolorum consensu, qua DEUS contumeliam afficitur, fundamentum fidei evertitur, multi implicantur errore ac in æternum ruunt exitium. Hæreticus autem est Doctor falsus in Ecclesiæ gremio constitutus, peregrina dogmata fundamento fidei contraria malitiosè & pertinaciter non sine magno Ecclesiæ scandalo defendens.

XXXI. Duo itaq; in hæretico occurrunt videlicet Opinio falsa pugnans cum fidei fundamento; & in eā asserranda, pertinacia. Liquet ex his non omnes pro hæreticis habendos qui falsæ doctrinæ adstipulantur: atq; ita accurate discernendum esse inter Hæreticos seu seductores qui falsam doctrinam spargunt, eamq; modis quibuscunq; possunt defendere allaborant: & Hæreticis fidem adhibentes seu seductos, qui falsa non docent; sed falsa prædicantibus ob judicii infirmitatem assentiuntur. Hanc in rem pulchram Augustinus lib: 18: de Civit. DEI cap: 51. Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquod pravumq; sapiunt, si correpti ut sanum rectumq; sapient resistunt contumaciter suaq; pestifera ac mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt Hæretici sunt. Restat

Memb^t V. De Quæstionum ad præsentis ma-
teriei uberiorem declaracionem facien-
tium decisione. Qværitur

XXXII. 1. An & quomodo Theologia Positiva à Methodicā
differat?

v. Licet Sacra Scriptura divinitus inspiratæ & Theologie
ea dem sit. Causa efficiens, cum utraq: originem ab ipso
DEO trahat: 2. Tim: 3: 16. 2. Pet: 1: 21. Idem Objectum
nam utraq: versatur circa articulos fidei ad salutem ne-
cessarios 2. Tim: 3: 15. & Finis, scil: vitæ æternæ acqui-
sitione. Differunt tamen seqventibus modis: Theologia
Positiva exhibet nobis articulos fidei sparsim & prolixè;
Methodica vero proponit eosdem ordinate ac succinctè:
Illa, suppeditat materiam credendorum ac faciendorum;
hæc, quasi formam superaddit omniaq: methodicè dis-
ponit: *Illa*, habet rationem principii; & est ipsum verbum
DEI; *hæc*, rationem principiati & est explicatio & ap-
plicatio verbi DEI,

XXXIII. 2. An Theologia A'ḡx̄ērū π@sin DEO sit Discurs-
iva, an vero simplex intelligentia? Neg: prius. Aff: post:

Tetigimus hanc Quæstionem Thesi 8. nunc eō brevi-
eam proposituri. Theologiam archetypam in DEO
non esse discursivam probatum imus tali discursu: O-
mnis discursus fit vel secundum successionem tantum, cum uno
cognito convertimus nos ad cognoscendum aliud,
vel secundum successionem & causalitatem simul, cum per
principia deducimus ad cognitionem conclusionum;
Atqui neuter horum DEO convenit: Non prior, quia DEUS o-
mnia simul videt in uno quod est DEUS ipse: Nec poste-
rior, quia hic priorem præsupponit proceditq: ab igno-
to ad ignorantius, tribuitq: DEO ignoratiam quæ cum

omniscientia DEI ē diametro pugnat. Concludimus itaq; Theol: Archetypam in DEO non esse discursivam, sed simplicem intelligentiam, quā in simplicissimā suā intelligens tiā omnia simul intuetur & cognoscit.

*XXXIV. 3. Utrum Theologia Naturalis in gentibus me-
reatur commendationem?* R. Distinguendo inter Theolo-
giā naturalem in se consideratam & Vitiosam illius ap-
plicationem ad creaturas & idola: priori modo considera-
ta absq; ullo hominum respectu etiam in illis qui detinent
eam in injustitia summoperē ab Apostolo commenda-
tur: Rom: i: v: 18. Posteriori non item.

*XXXV. 4. An legitimū Theologiae genus defumi possit ē
numero habituum intellectualium ab Arist: l: 6. Eth: cap. 3.
enumeratorum?* Negat:

Nam Theologia toto genere differt ab habitibus intel-
lectualibus Philosophicis. Illius, enim principium est divi-
na revelatio; i. Cor: 2: 10. horum, humana ratio: illius,
finis est æterna hominis beatitas; horum, peritura mundi
felicitas: illa, circa res mysticas, fidei & superantura-
les; hi, circa res mundanas, rationi subjectas & natura-
les occupantur. Licet autem Theologia nec possit nec
debeat inter habitus Philosophicos numerari; magnam
tamen cum iis habet convenientiam, undē nonnullis ha-
bitus omnīs (emineenter scil: non formaliter) dici consuevit.

XXXVI. 5. An Theologia sit disciplina Præctica?

Affirmativam qvæstionis amplectimur, eiq; fidem con-
ciliamus seqventi argumento: Cujuscunq; disciplinæ objec-
tum & finis sunt præctica, illa disciplina verè dicitur præctica:
Atqui Theologia objectum & finis sunt præctica. E. Theologia
verè dicitur disciplina præctica Major suā luce radiat. Minor
probatur, quia omnes articuli fidei in Theologia eum in
finem proponuntur, ut ad praxin referantur. Et quam-
vis

vis in qvorundam etiam contemplatione sit occupata
quo respectu quoq; *disciplina mixta* à non nullis Theolo-
gis appellatur; attamen quia omnis *theoria Theologica*
ad praxin seu finem suum dirigitur, nempe ut per eam
homo ad æternam beatitudinem consequendam infor-
metur, perducatur ac promoveatur, rectius practicam
quam mixtam appellari statuimus. Quod ut melius per-
cipiatur nesciendum non est theoriam esse duplicem;
Unam absolutam, quæ propter seipsum suscipitur, & in quâ
contemplantis animus acquiescit; alteram respectivam, quæ
propter aliud suscipitur & ad operationem seu finem ultimum
refertur: Illa Theoreticam; hac practicam parit disciplinam.

*XXXVII.6. An cessante extra ordinariâ Prophetarum & Apo-
stolorum missione, publicatis Moysis, Prophetarum, Evange-
listarum & Apostolorum scriptis; scriptura Canonica sit
unicâ Regula ac norma controversiarum Theologicarum?*
Aff:

Clarè siquidem & sufficienter continet dogmata ad
fidei instructionem, vitæ conformatiōnem, & salutis as-
ceptionem necessaria, adeo ut nec plus nec minus crede-
re oporteat ad salutem, quam in Scriptura traditum est
2. Tim: 3:15, 16. ad hanc à S. Sancto Esa: 8:19. 20. ablega-
mur; huc Christus, Matth: 4:7. c: 22: 29, & 43: 44. Apostoli
Acto, 2:16. c: 26:22. Concilia Oecumenica (ita Nicenum Arrii;
Constantinopolitanum, Macedonii & Eunomii; Ephesinum Ne-
storii; Chalcedonense, Eutychis; hæreses ex solis scripturis
Canonicis refutarunt) in controversiis Theologicis
subinde provocarunt: huic, proprietates normæ seu
regulæ exactè convenient quæ sex numerari solent hoc
ordine: Norma sit certa, immota, invariabilis, prima, o-
mnibus adæquata, sui semper similis; Scriptura Canonica est

Certa

Certa. i. Tim: i: 15. Immota, Luc: 21: 33. Invariabilis. Matth. 5: 19. Prima, quia ab ipso DEO inspirata est à nullo alio priori scripto originem duce: Omnibus adequata, 2. Tim. 3: 16. deniq; Sui semper similis omnem additionem & detractionem respuens. Deut: 4: 2.

XXXIX. 7. An variae Theologie partitiones possint conciliari? Aff: Sive Theologia dividatur in duas partes cum Chemnitio; sive in tres cum Hafenreffero, sive in Quatuor cum Nicolao Hemmingio, sive in sex cum Alstedio semper exhaustur oceanus sacrarum literarum. Non tamen imus inficias alias aliis esse accuratiore.

XXXIX. 8. An sententiae patrum in Theologia rectè usurpentur? R: Orthodoxi consensus & declarationis (nequaquam auctoritatis) causa utiliter adhibentur,

XL. 9. An Theologia Parabolica sit argumentativa? R: Imò est, si maneatur in terminis & scopo allegoria; alias non item.

*Eruditione ac Pietate Politissimo luveni,
DN. GABRIELI A R C T O P O L I T A N O
Amico suo per dilecto.*

*Qui docet atq; facit JOVAE sanctissima verba,
Permagno Magnus vir eluet ille DEO.
Discursu docto, Clero sub Praeside dextre;
Comprobat id GABRIEL, nomen & omen habent.
Ipseq; dum vivit maculis non oblitus ullis
Vita, & sic alios quod docet ipse facit.
Pergito sic GABRIEL, spartam quam nactus es ornata
Doctrinā, precibus, moribus atq; fide.
Sic tuā laus nullis intermoritura diebus
Scandet ad ætherei culmina celsa poli.*

Amoris & honoris Ergo applaud:

*G E O R G I U S A L A N U S,
S. S. Theol: P, Facult: Theol: p,
Decanus & Past: Ab.*